DECRETVM ROTAE SVPER PROCESSVS, TAM COMPVLSORIALES, QVAM remissoriales Canonizationis, B. Theresiæ Virginis reformationis Discalceatorum Carmelitarum fundatricis.

BEATISSIME PATER.

Postquam de mandato Sanctitatis vestræ, & de illius speciali commissione discussimus circa miracula à Deo Domino nostro per intercessionem illius seruæ Dei Theresiæ de Iesu nouæ reformationis Discalceatorum Carmelitarum fundatricis operata, & plura insigniaq; tam in vita, quam in illius fœlicissimo obitu, & post mortem facta inuenimus, & pro miraculis approbanda censuimus; sicq; Sanctitati vestræ retulimus à qua ex post facto cum in mandatis habuerimus, vt etiam processus super eiusdem ancillæ Dei vita, virtutibus, sanctitate, & miraculis compilatos examinaremus, in quorum implementum in domo, & præsentia Illustrissimi Cardinalis Lancelloti semel, & iterum congregati serio, & ea maturitate, ac diligentia, qua potuimus, dictos processus, tam remissoriales, quam compulsoriales in vim præcedentium opportunarum literarum à sacra Rituum Congregatione virtute breuis Sanctitatis vestræ emanatarum coram Salmantino, & Abulensi Episcopis respectiue, & coram Illustrissimo Cardinali Archiepiscopo Toletano, & diuersis iudicibus ab eo Delegatis, formatos examinauimus, illosq; seruatis seruandis fabricatos esse in forma probanti iudicauimus; & testes in illis contentos esse legitime examinatos, cum omnibus necessarijs citationibus iuramentis aliisq; de iure requisitis; & inter illos plures grauissimos viros, tam genere, quam dignitate, & perspicua sanctitate inuenimus, quorum etiam dicta ponderauimus.

Ex quibus dilucide etiam constare censuimus de virtutibus, & excellenti sanctitate istius seruæ Dei Theresiæ, ita, vt ex prædictorum inspectione iuncta supradicta miraculorum relatione duxerimus. Procul dubio resoluimus prout in eadem relatione iudicauimus, causam istam esse in tali statu, vt iuxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum, & sacrorum Canonum dispositionem (si sanctitati vestræ placuerit) possit procedi non solùm ad concedendum facultatem dicendi officium, & Missarum solemnia celebrandi de ista serua Dei Theresia, tanquam de vna Virgine in toto prædicto ordine Discalceatorum B. M. de Monte Carmelo, & in Hispaniarum Regnis, verum etiam ad illius solemnem canonizationem in forma Ecclesiæ consueta. In quorum fidem huiusmodi relationem manibus proprijs subscripsimus. Romæ secunda Ianuarij. Anno Domini M. DC. XIIII.

Franciscus Sacratus.
Archiepiscopus.

Ioannes Baptista
Coccinus.

Alphonsus Mançanedo.

Auditores Rotæ.